



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema LIV. Cur Mundo exosus Christus & Christiani. Dominica VI. Post
Pascha. Venit hora, ut omnis, qui intersicit vos, arbitretur obsequium se
præstare Deo. Joan. 16. v. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA LIV.

Cur Mundo exofus CHRISTUS &
Christiani.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare DEO.

Joan. 16. v. 2.

S. I.
Sententia
S. Chry-
sostomi.



Ur DEUS permittat bonos affligi à malis, causas undecim reddidit Chrysofomus celeberrimâ illa concione, ob quam oratoris aurei titulum obtinuit & in cathedram Antiochenam meruit assumi; digna quæ attentissimis auribus excipiatur oratio: multos audivitalia quærentes: Quid tandem ille modestus & mansuetus homo ab alio quodam impio & improbo per singulos dies trahitur & innumeras patitur molestias: & DEUS permittit? Quare alter accusatus injustè mortuus est? ille submersus est, alius præcipitatus &c. Itaque prima causa quidem est, quod cum facillè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tolluntur, ipsos finit affligi. Secunda nè cæteri majorem habeant de ipsis opinionem, quàm humana patitur natura: & ipsos DEOS non autem homines esse arbitramur. Tertia, ut & DEi virtus appareat per ægrotantes & compe-

ditos exuperans & prædicationem augens. Quarta, ut ipsorum illorum patientia manifesta fiat non propter mercedem DEO Servientium sed & tantam exhibitionem gratitudinem, ut & post tot mala sincera in ipsis benevolentia ostendatur. Quinta, ut de resurrectione cogitemus, cum enim verum, justum, & multâ plenum virtute innumera passum mala, & sic hinc digressum videris: oportet ex hoc omnino aliquid de illo judicio cogitare. Si enim homines per se laborantes sine præmiis, & retributione migrare non permittit: multò magis eos qui tantum laboraverunt nunquam incoronatos remanere DEUS decerneret. Si autem ipsos laborum suorum retributione privare non eligit: omnino necesse est quoddam aliud tempus esse post præsentium finem, per quod præsentis vitæ laborum retributiones reciperent. Sexta, ut omnes in gravia incidentes sufficientem consolationem & mitigationem habeant in eos respicientes

Tt 2

&

„ & malorum quæ ipsis accidere re-
 „ cordantes. Septima, nè quando
 „ exhortamur vos ad illorum vir-
 „ tutem & cuique dicimus: imita-
 „ re Petrum, imitare Paulum, pro-
 „ pter gestorum excessum alterius
 „ ipsos naturæ participes fuisse co-
 „ gitantes ad imitationem torpeatis.
 „ Octava ut quoniam beatos vel mi-
 „ seros censere oportet, discamus
 „ quos quidem beatos, quos autem
 „ miseros & ærumnosos putare de-
 „ beamus. Si verò oportet & no-
 „ nam dicere causam: illud dicere
 „ possemus, quod spectabiliores tri-
 „ bulatio faciat tribulatos. Tribu-
 „ latio enim patientiam operatur:
 „ patientia verò probationem:
 „ probatio autem spem: spes verò
 „ non confundit. Vides quod ex
 „ tribulatione probatio futurorum
 „ nobis spem adfert, & in tentatio-
 „ nibus manere bonum de futuris
 „ sperare facit? Itaque non teme-
 „ rè dicebam, quod hæ tribulatio-
 „ nes resurrectionis spem nobis de-
 „ signant, & vexatos meliores effi-
 „ ciunt. Quemadmodum enim, in
 „ fornace aurum examinatur, sic &
 „ homo acceptus in humiliationis
 „ camino. Possumus & decimam
 „ dicere causam. Qualem verò
 „ hanc? quam & jam sæpius dixi
 „ superius, quod si aliquas habeamus
 „ maculas, & eas deponimus. Et
 „ bene Patriarcha declarans, ad di-
 „ vitem dicebat: quoniam Laza-
 „ rus post sua mala, jam consolatio-
 „ nem accipit. Et ad hanc aliam
 „ rursus inveniemus. Qualem ve-
 „ rò hanc? ut corona & præmia
 „ nobis augeant. Quantum enim
 „ tribulationes ampliabuntur, tan-
 „ tum augetur & consolatio immo
 „ verò & multò plus, non enim con-
 „ dignæ sunt passiones præsentis
 „ temporis ad futuram gloriam,
 „ quæ revelabitur in nobis. Tot

„ igitur causas habentes de Sancto-
 „ rum afflictione dicendas, nè in
 „ tentationibus indignemur: ne-
 „ que angustiemur, neque tumultue-
 „ mur, sed & ipsi nostros instruamus
 „ animos & alios hoc doceamus. Hæc
 „ ad verbum S. Chrysostomus. cuius
 „ inhærens sententiæ, quantum sit
 „ odium inter Christum & mundum
 „ præsentis dictione docebo & quæ
 „ præparare patientiæ virum fortem
 „ possint, brevissimè insinuabo.

Non ità ignis adversatur aquæ,
 non ità lupus ovem persequitur,
 cervus serpenti infestus est, quàm
 Christus mundo sit contrarius,
 quàm mali persequantur bonos.
 quæ causa? quia videlicet Chri-
 stus *ignis consumens est* Hebr. 12. A-
 postoli & boni omnes sacro igne
 lucent & ardent: ignem enim ve-
 nit Jesus mittere in terram, quo pii
 omnes accendantur & ardeant,
 mundus autem est *mare magnum ac
 spatiosum* Pf. 103. *impii bibunt ini-
 quitatem sicut aquam* Job. 15. v. 16.
cor eorum quasi mare fervens Is. 57.
 v. 20. *quasi fluctus feri maris despu-
 mantes suas confusiones* ex epist. Ju-
 dæ. v. 13. quid miramur contrari-
 etatem: Christus Agnus est: *quasi
 Agnus coram tondente se* Is. 53. v. 7.
quasi Agnus mansuetus Jerem. 11.
 v. 19. *Ecce Agnus DEI* Joan. 1 v. 29.
 Apostoli & Christiani *sicut oves in-
 ter lupos* Matth. 10. homines munda-
 ni & maximè politici *in vestimen-
 tis ovium, intus sunt lupi rapaces*
 Matth. 7. v. 15. est enim homo ho-
 mini lupus. & miramur bonos
 persecutionem pati à malis? mirum
 esset si non foret inimicitia? *si com-
 municabit lupus Agno* Ecclesiastic. 13.
 Christus cervus est: *similis est dile-
 ctus meus Capræ hinnulbque cervo-
 rum* Cant. 2. v. 9. & 17. Christiani
 omnes debent esse Cervi anhelii ad
 fon-

§. 2.
 Antipa-
 thici Chri-
 stus &
 Mundus.

fontes salutis, ad torrentes æternæ voluptatis, ad puteum aquarum viventium & cum psalte ingeminare: quemadmodum desiderat Cervus Pf. 41. v. 1. At verò malus mundus serpentis antiqui creatura est, omnes iniqui serpentes sunt & genimina viperarum Matth. 23. v. 33. necessaria proinde inimicitia. Doctissimè Origenes: *Cervus serpentium inimicus ac debellator est, ità ut spiritu narium eos extrahat de cavernis. Interficit Christus serpentes id est contrarias mundi fortitudines jugulat.* hinc illæ lacrymæ.

S. 3.
Ex contra-
ria doctrina.

Contraria quoque est doctrina Christi & mundi, Christus docet: Beatos esse pauperes spiritu. Aliam lectionem prælegit mundus: beatus populus cui hæc sunt. Monet Christus Matth. 7. intrate per angustam portam. Invitat mundus Sap. 2. venite fruamur bonis; nullum sit pratium, quod non pertranseat luxuria nostra. Jubet Christus: estote simplices sicut columbæ Matth. 10. Mundus definit: ubi deficit pellis leonina, assuatur vulpina: frangenti fidem fides frangatur eidem. Præcipit Christus: Sermo vester sit; est est non non Matth. 5. v. 37. Mundus: jura per jura secretum prodere noli. Videamus quomodo contra se loquantur: mundus vocat Christum: *malefactorem* Joan. 18. v. 30. *blasphemum: hic blasphematur* Matth. 9. v. 3. *Dæmoniacum* Matth. 11. Lucæ 7. Joan. 8. *Ambitiosum* ut patet Matth. 27. Joan. 18. & 19. Marc. 15. Lucæ 23. *Potatorem* Matth. 11. v. 19. Quid vicissim Christus? *ego testimonium perhibeo de mundo, quod opera ejus mala sunt* Joan. 7. tantum odium Christi in mundum est, ut nec dignetur orare pro eo: *non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi & quos*

elegi de mundo Joan. 17. Misericordissime Jesu, qui istud intelligam? tu orare nos jubes pro inimicis nostris, & ipse pro mundo non oras? tu pro crucifixoribus preces fundis & lacrymas, & pro mundo non? tu Salvator mundi es, quem ità dilexit Pater tuus, ut te unigenitum dederit, & non orabis? tantæne animis cælestibus iræ? *Non pro mundo oro, sed quos elegi de mundo* pro Apostolis, pro fidelibus, ut se verbo & opere opponant mundo maligno, ut fortiter ferant odium perversi & adversi mundi unumque eâ ratione fieri mereantur cum Christo & DEO.

Matth. 5.
v. 44. Lu-
cæ 6. v. 28.

S. 4.
Justi sunt
in signum.

Atque hæc ideo dicta volo, ut si qui ex nobis sunt, quos odit mundus, gaudeant se suæ habere tesseram salutis: *Nemo morveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* quasi in signum, quibus contradicatur, in scopum jaculorum. Ecclesia firmamentum est, fideles luminaria. Sed advertite quid Gen. 1. v. 14. de firmamento dicat DEus: *fiant luminaria in firmamento celi & sint in signa.* quasi diceret: sint pro meta, in quam non unus Philippus Macedo tam diu jaculetur donec exoculetur. *sint in signa.* eleganter Stephanus Carnotensis: *mysticè loquendo Ecclesia est firmamentum, luminaria Viri justi, hi sunt in signa & tempora, id est, in signa temporalis miserie odii & contradictionis.*

1. Theff.
3. v. 3.

Ne ergò vereamur, sed in hoc gaudeamus. Nam ut bene S. Augustinus in Pf. 55. & in 127. *si putas te non habere tribulationes, nondum cepisti esse Christianus* & Tertullianus in Scop. c. 8. *in nobis confidet nomen Jesu cum odii sui lege.* Christianè Seneca: *argumentum recti est, malis displicere.*

Tt 3

Per-

S. S.
Symbolū
Justi Cam-
pana.

Permittit proinde exerceri pi-
os ab impiis DEus, ut piorum pati-
entiā divinas suas aures oculosque
delectet. Egyptii tribulationum
effectum Symbolicè expresserunt
in campana: *non percussa filet*. ta-
lem campanam in Job imaginatur
sibi S. Augustinus: *quomodo sonuit,
quā sua vēm sonum dedit! adhuc
tunditur datus in potestatem diaboli,
ut Scarō ejus percuteretur, percussit
eum à capite usque ad pedes gravi
vulnere, & putrescens vermibus se-
debat in stercore. Audivim⁹ quemad-
modum tunsus est, audiamus quomo-
do sonet. Si bonā recepimus de manu
DEi, malum cur non sustinebimus?
O sonum fortem! O sonum dulcem!
ò quem dormientem non excitet iste!*
Nimirum malleus universæ terræ
diabolus est Jerem. 50. v. 23. verum
malleus iste seipso non percutit,
manus Domini adhibenda est: *Ma-
nus Domini tetigit me* Job. 19. v. 24.
David percussus, *cū tribularer* in-
quit, *clama vi*. & tu Christiane dum
mors pulsator foras, rapitque quod
charissimum erat, quomodo clama-
mas? murmuras? obtusum me-
lancholiæ edis sonum? non est hic
sonus suavis sed Sanctorum voci-
bus diffonus, ingratus DEo, Angelis
hominibusque. Et cur DEus per-
cutienti dixit: *verumtamen ani-
mam illius serua* Job. 2. v. 6. Re-
spondet S. Augustinus: *etenim si de
medio illum sustuleris, theatrum nobis
non plaudet amplius*. Divinè dixit
Seneca: Nullum spectaculum Jo-
ve dignius quā virum fortem in-
tueri cum adversa fortuna luctan-
tem. Ecce par Deo dignum, vir
fortis cum mala fortuna composi-
tus: ecce spectaculum Deo dignū.

Ut fieret Patri spectaculum fi-
lius, descendit de cœlo: *ad hoc car-
ne indutus est ut sinè flagello non es-
set*, inquit S. Augustinus. Angeli
certè tam libenter adsunt, ut cœlo

deserto famulentur afflictis. patuit
in Tobia, qui in captivitate Ninive
positus, cæcitate percussus, de socio
itineris, cui filium committeret soli-
citus, Angelum habuit & quidem
unum ex septem primariis, qui ul-
tro se offerebat in servum c. 5. &
hic interrogatus de nomine: *ego
sum Azarias Ananiae magni filius*.
Sed ò Angelemi quomodo hoc ve-
rum? nunquid tu Hebræus? S. Au-
gustinus Ser. 228. de temp. Pro An-
gelo respondet: *claruit Angelus
nomen- sēnim diceret: ego sum An-
gelus, non esset Tobia mercenarius*.
Afflicto servire volebat, ideòque
hominem induit. tam gloriosum
ducunt Angeli servire afflictō. Gen.
28. Jacob fugiens à facie Esau videt
scalam mysticam & angelos ascen-
dentes & descendentes. Stare de-
buissent Angeli attenti, quid se mo-
vent? vos quidem qui ascendendo
vertimini ad DEum, proceditis be-
ne; at vos descendentes, Deo dor-
sum vertitis. audio responsum:
tergum DEo vertimus, ut Jacobo
serviamus, ut jucundemur eodem
spectaculo quo Deus, atque ut DE-
um in Jacob videamus.

Quid de ipso Angelorum Re-
ge dicam? charus illi est sinus Pa-
tris, charus ad dextram thronus, at
longè charissimus est patiens in ad-
versis. Psalmo. 109. ait David, *Di-
xit Dominus domino meo, sede à dex-
tris meis*. sedet ut Magister, ut judex,
ut triumphator, ut imperator. Ali-
ter illum Joannes effigiat, jacentem
in sinu: *Unigenitus DEi Filius, qui
est in sinu Patris*. quomodo sedet à
dextris, si jacet in sinu. Atheniensis
quædam mulier nomine Cœnobia
filium suum militariter educatura,
lac quidem dedit, sed nunquam in
sinu quiescere passa est infantem,
pedissequarum una supponere de-
buit manus & auferre post lactatio-
nem, nè jacuisse unquam in sinu ma-
terno

Joan. 1.
v. 18.

verno videretur. Sic educatus crevit in militem generosum, patriæ amore discrimen quodvis ambiens capitis & vitæ. ex prælio aliquando reversus vulnera immania Matri ostendit, quæ arridens: Nunc quiescas ut filius, quia filius laboris fuisti. simili modo imaginor mihi Patrem gessisse se erga filium, hic ab æterno sedit tanquam æqualis Patri, post passionem verò suam, cum plagas in manibus pedibusque ostenderet, paternum acceptus est in sinum, ita docente S. Ambrosio: *post injurias acceptas Deus Pater suscipit Filium, & occursum pietatis insolito, gremio meliori complectitur; quasi nunc charior & suavior esset, quia labor præcessit & dolor. tunc dulcius audit: filius meus es tu.* postquam principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Sed si sedet imò jacet, cur illum S. Stephanus stantem videt? Ephestion virum se gesserat inter adversa infractum, qui templum ingressus ut Jovi sacrificium offerret videre sibi visus est, quòd Jupiter throno exurgeret dicens: *Nunc Ephestio similis Diis factus es, ideòque thronus Jovis tibi convenit.* fabula hæc est Ethnicorum, at veritas est Christianorum visum esse à Stephano Jesum stantem, quasi hic thronum suum ei cederet & dignum judicaret Patris sinu, qui inter adversa constat sibi. Sensus hic est Origenis sic scribentis de S. Stephano: *Obdormivit in Domino id est, in sinu Patris, in cujus dextra Christus stabat, qui videns eum tribulatum & percussum, ut condignum ei concedat locum, surrexit de sinu & ad dextram se locavit.* Quin potius dicam, ideo stare Jesum non sedere, ut spectaculo hoc se oblectet, sicut dum rarum aliquid in amphitheatro exhibetur, surgit spectator ut arri-deat & applaudat.

Quàm dulcis est illa tribulatio cogitatio de pacto Christum inter & Catharinam Senensem inito: *cogita tu de me, & ego cogitabo de te.* pacisci similiter placet Christiane? manè dum surgis Christum cogita, cogitabit & ille dabitque bonum manè. in labore cogita illum, qui propter te in laboribus à juventute sua cogitabit & ille de te & benedicet labores tuos. in dolore cogita illum, qui nunquam fuit sine dolore: *dolor meus in conspectu meo semper,* cogitabit vicissim de te & tecum erit in tribulatione. si in via quâ Jesum sequeris, famem sitimque necesse sit pati, cogita illum, cibabit & potabit te, ipse enim est Panis vitæ, ipse est fons aquæ salientis in vitam æternam. si desunt vestes, si æstus urit vel gelu, si lassitudo divexat, cogita Christum, qui induet te stolâ primâ, & scapulis suis obumbrabit tibi, suoque jumento imponet, ut suaviter equites, quem Dei gratia portat, si tristitia pectus stringit, si metus ingruit, si hostis premit, Christum cogita, cogitabit te vicissim & erit voluptas tua, scutum & turris.

Solicitem Isaacum de victima Gen. 22. *Pater mi, ecce ignis & ligna sed ubi victima holocausti?* solatus est Pater: *DEus providebit tibi fili mi.* quasi diceret: pergamus mi fili, quòd nos DEUS vocat, eamus ut sanctissimæ ejus voluntati obsequamur, eamus ut mirabilia ejus videamus, de reliquis providebit paterna Dei clementia, in cujus manibus sortes nostræ, in cujus voluntate cuncta sunt posita, in cujus corde sunt nomina nostra. Sic dicendum, sic agendum est, quoties ad montem Moria per viam crucis nos vocat, Deus imò humeris nostris imponit ligna, accumulatur cruces, jugum & onus multiplicat, quis in hoc itinere cibum dabit? perge tu fili, DEUS providebit. Reflecat unusquisque se

se ad præteritos vitæ annos & necessitates suas recogitet, an non mit ei bonus auxilium de Sancto & de Sion tuitus eum est? an non sublevavit sustulitque adversa commutans in prospera, & præveniens benedictionibus? Quod ex S. Bernardo Ser. 1. de S. Benedicto Guericus dixit, semper fuit eritque verissimum: *poterit tribulatio servire, sed hoc erit servire, poterit urere, tundere, diffecare, sed hoc erit coronas fabricare.*

S. 7.
Causa no.
stræ impa-
tientia.

Cognitionis seriæ defectus intolerabilis nobis reddit adversitates, plus apprehendimus plerumque mali quam reipsâ sit. sicut peregrinantibus videtur cœlum incumberè montibus, & nocturno timore correptis umbræ ipsæ videntur spectra enormia. *Scuto circumdabit te Veritas ejus*, aiebat Ps. 90. David, *non timebis à timore nocturno*. Veritatis scuto muniendus dicitur justus, cur non potius scuto potentia, cujus proprium est repellere hostes & frangere inimica tela? nimirum timores, quibus angimur nocturni sunt, vanæ umbræ, puerilia terriculamenta. non est opus potentia sed veritate. accede propius, tange, aude & experieris inania esse & nullius momenti. *Magnum malum est ferre non posse malum* dicebat Bion teste Laertio in vital. 4. Serpentibus assimilari suos vult

æterna Sapiencia Matth. 10. v. 16. quid habet virulentum animal, & non tantum suo opte ingenio sed Dei etiam imperio inimicum humano generi, quod imitari debeant pii? Coelius Rhodiginus l. 15. c. 25. ait si serpens calamo semel percutiatur, interit & emoritur, si repetitis ictibus verberetur, reviviscit & confirmatur. quod plura calamitatum verbera quod graviora, quod acerbiora nos feriunt, eò vires potiores suppeditant, vitam alacriorem tribunt, confirmant solidius ad perennitatem. & sicut subita tonitrua serpentes frigore concretos revocant in vitam, ita calamitates fugientem caritatis calorem revocant, fovent, redanimant. Eleganter S. Basilius Ps. 33. *Qui dixerit, quod virum plane justum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quam Athleta non convenire adversarium. Athleta enim minime certans, quas habebit occasiones sibi coronas comparandi?*

Corona supremi hujus problematis Corona sit, quam aurifaber conficit cum lemmate, quod cuilibet afflicto apprimè convenit: *me ferrum me perficit ignis*; aurifaber DEUS, tribulatio ignis, malleus homo malus est, his DEUS nobis coronam conficit & nos suam perficit in coronam.

F I N I S.

